

A. II. 10 Q

18  
22  
**DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA**

SISTENS

**PRAETER NATVRALEM ET  
RARAM OBSTIPATIONIS  
ALVI CAVSAM, ET INDE  
PENDENTEM TYMPANIAM,**

Q V A M

CVM CONSENSV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

PRO OBTINENDO LEGITIME DOCTORIS IN MEDICI-  
NA GRADV

PUBLICO ERUDITORVM EXAMINI SUBMITTIT

A V T O R

**PHILIPPVS CAROLVS ERHARD,**

NORDHVSANVS,

ERFORDIAE

D. XIX. NONA FEBRVAR. MDCCCLXXX.



TYPIS HENR. RVD. NONNII, & CAD. TYP.



DISSERTATIO IN VACARIA'S MEDICIS

DISCERNENS

PERPETRIARIA ET  
ARABIA OBSERVATIONIS  
ALIACASAM ET INDE  
GENDEMENTUM TYPNIVM

CVM CONFERATUR ESSENTIA MUNDORUM ORDINARUM

PRO OBTINENDO LIBERAM DOCUMENTA IN MEDICO  
AN ALIO

COLLEGII COLLEGIVS ET ALIUM DILECTUM

AUT A

PETITUS CAVOFÆA EQUVS

OBSTINANDA

EAD QVOD

EX LIBRIS LIBRARIAE MUNICIPALIS

EX LIBRIS LIBRARIAE MUNICIPALIS



VIRIS

ERUDITIONIS GRAVITATE, VIRTUTVM,  
SPLENDORE, MVNERVMQVE AMPLITVDINE  
ORNATISSIMIS

MAGNIFICIS, EXCELLENTISSIMIS,  
AMPLISSIMIS, CONSVLTISSIMIS, ATQVE  
PRVDENTISSIMIS,  
LIBERAE IMPERIALIS NORDHVSÆ

DOMINIS

CONSVLIBVS  
GRAVISSIMIS

CIVITATIS PATRIAE PATRIBVS

LONGE MERITISSIMIS,

RELIQVISQVE

SPECTATISSIMIS

MAGNIFI CI SENATVS MÆMBRIS,  
MAECENATIBVS ET FAVTORIBVS SVIS



OMNI PIETATIS ET OBSEQVII CVLTV

AETERNVM COLENDIS

SPECIMEN HOC

HVMILLIME

CONSERVATIVA

GRVATISSIMIS

DEDICAT

PHILIPPVS CAROLVS ERHARD

NORDHYSANVS.

OBSER-





## OBSERVATIO.

DE

PRAETER NATURALI ET RARA OBSTIPATIONIS ALVI  
CAUSA, ET INDE PENDENTE TYMPANIA.

---

## PROOEMIVM.

§. I.

**C**orporis humani æque ac omnium animantium ea est  
ratio & structura, quod ad sui conservationem & va-  
letudinem tuendam nutritione egeat, quæ alimento-  
rum debita assumptione & recto usu perficitur. Alimento-  
rum vero iterum ea est indoles, quod præparatione quadam  
indi-

A 3

indigeant, antequam corpori assimilari possunt; propterea homini data sunt instrumenta masticationis & digestionis, cibis subigendis & in chylum vertendis idonea. Sed quum non omnes alimentorum partes constituentes corpori nutritiendo aptas sint, vel, ob nimiam illorum copiam penitus subigi nequeant, reliquias corpori nunc inutiles inde ori necessario sequitur, quæ sensim coacervatae molestias machinæ interitum minantes crearent, quibus evitandis natura non minus sollicitam se præbuit. Prima enim digestione in ventriculo & intestinis tenuibus peracta, alimentorum reliqua ad sui receptionem in intestinis crassis capaciorem locum inveniunt, in quibus ad ulteriorem particularum nutritiarum extractionem lentius promota & in scybalia mutata tam diu commorantur, usque dum copia eorum corpori molesta fit, tunc denum sub excrementorum seu secum nomine excernuntur, quæ omnia quomodo peragantur, principia physiologica satis superque docent.

§. II.

Hæc naturalis functio rite procedens ad reliquarum functionum alacritatem plurimum confert & ad sanitatis conservationem valde necessaria est, perturbata e contrario innumera eaque molestissima, immo lethifera saepius mala producit. Duplici autem modo peccare potest excretio alvina, excessu nimirum vel defectu; illud vitium vocatur diarrhoea, hoc vero obstructio alvi. Diarrhoea autem nimiam aut nimis citam fluidæ materiæ excretionem indicat, & pro differentia cause & indole materiæ evacuatæ diverteri nomi-

nominibus insignitur; quibus vero immorari hujus loci non est; ad alterum potius me converto vitium priori oppositum, quod breviter adhuc perlustrare liceat; quia commen-  
tationem nostram proprius spectat, cui speciminiis loco elab-  
oranda singularis casus ansam dedit.

§. III.

Obstructio igitur alvi in genere quidem, ut nomen iam indicat, in fecum alvinarum præternaturali retentione con-  
sistit, & actionum naturalium læsionibus comprehenditur,  
ratione tamen durationis diversis differt gradibus, qui a tar-  
ditate alvi usque ad plane impeditam ejus solutionem ascen-  
dunt, adeo ut per aliquot tantummodo dies prolata excretio  
jam obstructionis nomen gerat. Ut vero sordium evacuatio  
rite perficiatur, tria potissimum momenta requiriuntur, ni-  
mirum scybalorum debita consistentia, motus intestinorum  
peristaltici vigor, tubique intestinalis via aperta. Omnes  
itaque causæ, quæ scybalorum nimiam duritatem producunt,  
motum peristalticum languidum reddunt, & canalem inte-  
stinalem coarcunt, vel penitus præcludunt, excretionem al-  
vinam retardare, aut prorsus impedire poterunt, & meden-  
di methodum his tribus causarum classibus accommodandam  
esse hinc sequitur.

§. IV.

Sed proœmii loco hæc sufficient, ut ad propositum no-  
strum transeamus. Nimirum occasio nobis oblata est, ob-  
structionis alvinæ causam respectu raritatis notatu dignam  
obser-



observandi, ubi præternaturalis intestini coli status insuperabile secum trajectui impedimentum posuerat, quæ igitur ad postremam caularum generalium paulo ante allatarum reseenda est, & quoni.m hæc observatio ob exitum morbi lethalem instituta cadaveris sectione suffulcitur, eandem ad locupletandam anatomiam pathologicam aliquid forsitan conferre posse existimo. Debito autem ordine ut progrediatur, primo historiam morbi enarrabo, deinde quas incisio cadaveris monstravit præternaturales mutationes tradam, tandemque dijudicationis tentamen adjungam. Quos meos conatus ut benigne excipere velit, Lector benevolus, est, quod rogo.

### HISTORIA MORBI.

#### §. V.

Mulier tenuis fortunæ, paulo ultra sexaginta annos natæ, aliquot abhinc annis obstructione alvi habituali laborans, eadem jam inde ex tribus septimanis continenter iterum tenebatur, & paupertatis causa nullum hactenus auxilium medicum quasiverat, usque dum morbi ac dolorum atrocitas vicinorum commiserationem excitaverat, qui beneficium pauperum petentes medicum & medicamenta gratis imprestitabat. Aegra itaque 28. Iun. a. p. explorata sic inveniebatur: totum abdomen durum & versus omnes regiones horrifice expansum erat, regio iliaea dextra insigniter dolebat, adsumpta tam liquida quam solida vomitu rejiciebantur, nullaque adhuc alvi excretio sequuta erat.

#### §. VI.

Antequam igitur curatio aggredetur, ante omnia inquirendum erat in causam tumoris abdominis, ut sciremus, an ex aqua, aut aeris aut fecum colluvie istud adeo expanderetur. Consueta autem ejusmodi disquisitionis methodus aqua absentiam indicabat, nulla enim fluctuatio animadverterebatur, sed venter manu percussus tanquam tympanum sonabat, aeris intus existentis indicium. Non tamen absesse poterat fecum copia, quoniam aegrota paulo ante semper adhuc alimenta oblata assumserat, quae in canalem intestinalem transibant, antequam vomitus accessit. Primaria itaque indicatio dirigenda erat versus urgentissimum symptoma, nimirum obstructionem alvi tam diu duratam referandam. Ut scopo huic satisficeret, porrigebatur aegroto infusum Tamarindorum, cuius formula sequens erat: Rx. Tamarindor. unc. iij. Sal. mirabil. Glaub. unc. dimid. solv. in Aqu. fervent. unc. vij. Colat. add. pulver. radic. Jalapp. drachim. dimid. M. D. S. omni bihorio cochlearia duo sumenda.

## §. VII.

Postridie (29. Iun.) audiebamus, obstructionem alvi eandem permanere, aegramque valde conqueri de dolore abdominis, cuius tumor elasticus erat. Propterea injici erabantur enemata ex infuso florum Chamomillæ parata,

B

qui-

quibus admiscebatur Asa sc̄tida ope vitelli ovi in emulsionem subacta. Sed & hæc clysmata incassum adhibita erant, quoniam sine effectu iterum rejiciebantur. Rebus sic stan-tibus & tumore abdominis quotidie crescente auxilium moliebatur e potu aquæ calcis vivæ lacte ebutyrato commixta, & imo Iul. iterum præscribebatur applicatio clysmatis e tribus quartis partibus Decocci florum Chamomillæ & una quarta parte aceti vini parandi.

### S. VIII.

Verum 2. Iul. & hoc enema redditum fuisse nuntiabatur, symptomata eadem manere, hisque accedere haemorrhoides dolentes; ut paucis absolvam, sic se habebat agrota usque ad 4tum ejusdem mensis, quo tumor mollescere & dolor mitescere incepérat. Sed hæc melioris conditionis spes per brevis erat durationis, sto enim omnia iterum in deteriora ruunt, nec mirum, quia obstruc̄io alvi semper adhuc continuabat. Interea in aquæ calcis vivæ usū pergebatur, & abdomen linimento volatiliungi jubebatur.

### S. IX.

Sexto Iul. tumor abdominis auctus erat, aqua calcis vomitu iterato rejiciebatur, alvi dejectio nulla apparebat, & color abdominis lividus maculosus fieri incipiebat. Iam adhuc

huc

huc ad malum debellandum tentabatur solutio Gummi, amoniaci in aqua simplici cochleatim sumenda; sed & hæc vomitu reddebatur. Tandem benefica mors d. 7mo Iul. morbi sibi finem fecit. Ob casus singularitatem & causæ mali tam pertinacis detegendæ cupiditate ducti, sequenti die instituimus.

### CADAVERIS SECTIONEM.

§. X.

Quæ sequentia exhibuit;

- 1) Quod attinet ad habitum externum, tumor abdominis fuit maxime intensus, adeo ut cuticula hinc inde sindetur, durus, elasticus, æqualis, nitens; ad umbilicum apparuit color sublividus, & profluivium liquoris subcruenti e vulva in conspectum venit.
- 2) Abdominis velaminibus & musculis dissectis vidimus laficem circa umbilicum interius.
- 3) Aperto infimo ventre aër horrendæ fætoris cum sibilo explodebatur, cum in sequente aqua.
- 4) Fætore putrido aëris recentis transitu & fumigationis ope quodammodo mitigato, in cavitatis abdominis disquisitione perreximus, partes ejus continentes cruciatim dissectas separantes, & statim animadvertisimus,

B 2

quod

quod nullæ plane omenti reliquiæ amplius super-  
essent.

5) Intestina tenuia & crassa inflammata, livida. Colon a  
cœco usque ad flexuram dextram sub hepate peritoneo  
anterius adnatum, ita ut sine unius aut alterius laſione  
separari non poterant. Intestina crassa omnia horrende  
dilatata, turgida, ut diameter eorum fere ubique digi-  
tos 5 - 6. annaret.

- 6) In fine colon, ubi in rectum abit, coarctatum fuit in  
collum callosum, vix digitum admittens, interne pli-  
ca quasi carnea protuberans aditum præcludebat fere  
& cavum intestini penitus opplebat. Inde intestinum  
rectum uti colon præter naturam turgidum.
- 7) Hæc intestina aëre & fecibus pultaceis farcta erant,  
adeo ut ex incisura parva ad colon dextrum aër cum  
fecibus horrendo cum foetore exploderetur fecesque  
per tres pedes in arcum projicerentur.
- 8) Hepar pallescens, cystis fellea alba extus, intus liquor  
mucoſus piger limpidus hyalinus cum lapillis sedecim  
fuscis in globum fere configuratis.

#### TENTAMEN EPICRISEOS.

S. XI.

In supra proposita morbi historia indicavi, quod sub  
prima ægrotæ exploratione duplex præcipue malum sese ob-  
tulit.

tulisset, cuius alterutrum iam necem minaretur, nimirum  
alvus summe adstricta, & stupenda ambitus abdominis di-  
stentio. Qui enim princeps pathologicis imbutus conside-  
raverit, quales effectus prius vitium producere possit \*), qui  
porro consuluerit thesauros observatorum, qui hujus mali  
sequelas & mutationes cadaverum dissectionibus inventas me-  
moriae prodiderunt \*\*), quas & ipsi in cadavere nostro con-  
speximus, is facile intelliget lethalem hujus vitii exitum, nisi  
tempestive removeretur. Nec minus perniciolum existi-  
mandum erat alterum, quo tenebatur ægra malum; etiam si  
enim gravem dolorem prætereamus, quem talis violenta  
distentio necessario adferte debet, ejus tamen causa, manife-  
ste pendens a putredine vivis corporibus adeo inimica & a  
fecum diurna mora producta, vitam in periculo esse indi-  
cabat. Quum vero hoc effectus esset illius, & curationis indi-  
dicatio quantum possibile semper desumenda sit a causa, se-  
cundum principium illud, sublata causa tollitur effectus,  
medendi quoque ratio propterea versus alyi obstructionem  
directa erat potissimum, quemadmodum id remedia in mor-  
bi historia significata, & alias similibus in casibus tam effica-  
cia demonstrant.

§. XII.

\*) Vid. GAVELLI Institut. Patholog. medicinal. §. 558.

\*\*) Conf. ex. gr. LIEUTAUD Histor. anatom. medica, Vol. I.  
Sect. IV. Obs. 291 - 297, & Obs. 502 - 509. Edit.  
SCHLEGELII,

## §. XII.

Sed insuperabilis obstipationis causa, quam postea culter anatomicus detexit, omnem impensam operam illusit & certe nullis quoque aliis remedias cessisset; hæc enim erat secundum sectionis narrationem (§. x. No. 6.) extremi coli coarctatio non solum, sed etiam interne protuberans plica, quæ ita comparata erat, ut neque remedia injecta sursum, neque excrementa deorsum pervenire poterant. Reliqua autem observata phœnomena & præternaturales mutationes erant sequela tantum aut effectus hujus causæ, ex retentione debitæ & necessariæ scybalorum excretionis provenientes.

## §. XIII.

Quomodo autem hæ sequelæ ortæ sint, facile explicandum erit. Initio nimurum, dum plica protuberans nondum totum intestini cavum oppleret, scybalæ retro locum coarctatum retenta fuerunt, & a subsequentium sordium mole & pressu tarde tantummodo intestinum rectum transierunt; inde obstructio alvi habitualis (§. v.) Postea vero sensim crescente plica, scybalorum transitus in dies magis magisque difficilior redditus est, usque dum naturalis hæc evacuatio postremo denique prorsus impossibilis evasit. Ex hac scybalorum pertinaci retentione aliter fieri non poterat, quin illa in reliquo intestinorum crassorum tractu accumu-

laren.

13

Iarentur, colon & cœcum distenderent, summumque putredinis gradum acquirerent. Quamdiu enim misera assumere atque retinere adhuc poterat alimenta, tamdiu etiam hæc ab intestinis tenuibus excepta & concocta ope eorum motus peristaltici nondum debilitati intestinis crassis adigebantur, donec vomitus accederet sordiumque ulterius incrementum prohiberet.

S. XIV.

Iam vero notum est, quod valvula coli Bauhini rite comparata & incolumis alimentorum reliquis aditum quidem, nequitam vero semel transmissis redditum concedat. Quisquiliae igitur hoc modo accumulate & inclusæ utrumque intestinum crassum distenterunt, fibras membranarum infirmarunt, vasis compressis hæmorrhoides (§. viii.), inflammationemcoli ascendentis attulerunt, quam dolor regionis dextrae (§. v.) iam indicaverat, & cuius sequela, nimirum concretio intestini cum peritoneo, in cadavere diffe-  
cto (§. x, Nro. 5.) etiam comparuit.

S. XV.

His nunc accessit fecis putror, ad quem per se jam adeo proclivis est, quæ diurna autem mora summum ejusdem gradum



gradum consecuta erat, inde evolutio aëris, major intestinorum distentio & latior inflammationis propagatio ad intestina tenuia sese extendens. Hisce putredinis effectibus annumerari quoque potest scybalorum in massam puluceam mutatio (§. x. No. 7.); quum enim fecis perfecte elaboratae plerumque ea sit conditio, quod quidem per aliquot tantummodo dies retenta exsucca fiat & durescat, propter eaque ægre promoveatur, quoniam omne quod adhuc continebat fluidum resorptione interea consumitur, diutius tamen, uti in nostro casu ultra quatuor septimanas, protracta ejus retentio & inde conciliata putredo eam iterum mollescit, quum aër sese evolvens particulas ejus dirimat atque disspellat.

#### §. XVI.

Hactenus explicati obstructionis pertinacis effectus ad intestina potissimum eorumque contenta spectant, mirum vero non est, quod plura adhuc mala pluresque functionum turbations inde provenerint. Breviter itaque & hæc consideremus. In sectionis historia mentionem quoque feci aëris putridi ex abdomen dissecto cum in sequente aqua explosi

— — —

17

plosi (§. x. No. 3.) jam vero integra adhuc inveniebantur intestina, utraque ita fluida cavo abdominis contenta fuisse, & duplicit tympanitidis specie ægrotam laboravisse necessario sequitur. Hæc circumstantia causa quoque erat imperfectæ morbi cognitionis; æqualis enim abdominis tumor tympanitidis sedem in cavo ventris esse indicabat, aëris vero tantam copiam intestinis inesse signa penitus deerant.

§. XVII.

Quomodo autem & qua via aër in abdominis cavum pervenire potuit? Sunt quidem, qui sibi persuadent, aërem eadem via & simili ratione membranas iutestinorum penetrare posse, per quam flatus tubo intestinali vi mechanica impulsus sensim iterum abiret. Sed hoc in vivi corporis intestinis absque continui solutione accidere posse maxime dubit, quandoquidem hæc non uti in illo experimento unquam siccescunt ideoque aëri e spatiis hinc ortis transitum concedunt, sed semper a liquido exhalante humectantur. Verisimilius autem, immo certius aëris huius origo deduci poterit ab aqua ob impeditam resorptionem in ventre collecta. Quemadmodum enim notum & extra omnem dubitationem positum est, liquores animales ad putredinem maxi-

C

me

me proclives esse, ita hæc in cavo abdominis contenta aqua eandem eo facilius contrahere poterat, quoniam & receptaculi calor & excrementorum putor illam promovebant; & inde igitur aëris elastici liquore præscente evoluti originem deducendam esse evidenter patet.

### §. XVIII.


Huic quoque extra viscera stagnanti aquæ putridæ potissimum adscribendum erit omenti defectus (§. x. No. 4.), cui tenero abdominis visceri putredo communicata sphacelum, & inde pendente plenariam assumptionem induxerat, quamquam vasorum epiploicorum compressio & inde cohibita sanguinis circulatio ad eandem promoven-  
dam multum quoque contulerat. Hæc sphacelosa omenti consumptio pluries jam observata fuit, & in Lieutaudii hi-  
storia anatomico-medica \*) ejusmodi casus collecti inve-  
niuntur.

### §. XIX.

Si diversas causas obstructionis alvi inquirimus, quas Pathologi tam rationi quam observationibus innisi adferunt,  
qui-

\*) Vol. I. Obs. 264-269. passim quoque in aliis obss.


quilibet certe mecum fatebitur, quod causa alvi occlusæ,  
quam culter anatomicus in nostro casu detexit, ita compa-  
rata sit, ut illam partim rarioribus annumerare, partim re-  
spectu medelæ difficilem, immo insanabilem censere possi-  
mus. Medelæ enim difficultatem a sede & qualitate causæ  
pendere, quis non videt? An vero initio tolli aut impediri  
potuisset, & unde primitus nata sit hæc causa meditationum  
quarundam materiem adhuc suppeditare posset, quibus ta-  
men immorari nolo, ne conjecturas captare videar.



PICA

1018





DISSE<sup>2</sup>  
TATIO IN AVGVRALIS MEDICA

SISTENS

PRAETER NATVRALEM ET  
RARAM OBSTIPATIONIS  
ALVI CAVSAM, ET INDE  
PENDENTEM TYMPANIAM,

Q V A M

CVM CONSENSV GRATIOSI MEDIC

PRO OBTINENDO LEGITIME DOC  
NA GRADY

PUBLICO ERVDITORVM EXAMIN

A V T O R

PHILIPPVS CAROLVS

NORDHVSANVS,

ERFORDIAE

D. XIX. NONA FEBRVAR. MD



TYPIS HENR. RVD. NONNII.

